



Disputatio XV.

Continens *decem* Articuli X

De Adiaphoris.

PRO FORMVLÆ
CHRISTIANÆ CON-
CORDIÆ.

Quam

assistente divinâ gratiâ.

SUB PRÆSIDIO

Reverendi & Clarissimi Viri,

Dn. LEONHARTI HVT-
TERI, S. S. THEOLOGIAE DOCT.
& Professoris in celebri Academia VVite-
bergenſi Publ. in Collegio disputationum
Theologicarum privato proponit
& exhibet

NICOLAUS HUNNIUS MAR-
purgensis Hassus.

Ad diem 25. Februar. horis pomeridianis.

VViteb. Ex Officina Cratoniana, An. 1604.





REVERENDO ET

CLARISSIMO VIRO, DN. HEL-
VICO GARTHIO, S. S. THEOLOGICÆ
Doctori, Ecclesiæ Oschazensis, &
vicinarum Superintendenti vigilan-
tissimo, Domino Affini & pa-
trono suo plurimum
colendo.

*Exercitium hoc Theologicum debitæ observantiæ,
& gratitudinis ergo.*

Dedicat, & offert

Respondens.





De Adiaphoris.

Thesis I.



N Ecclesià non solum facti tecti serventur, oportet, fidei articuli, quæq; in specie à Deo sunt mandata, maneant integra & inviolata: verum etiam ad servandum ordinem, & decorum requiruntur adiaphora, ceremonie, ac ritus, quibus decenter, & εὐχρηστικῶς 1. Cor. 14. v. 40. cultus divini in Ecclesia administrari possint.

II.

Sunt verò adiaphora (aliàs res media, & indifferentes dicta) ritus Ecclesiastici, qui in verbo Dei neq; præcepti sunt, neq; prohibiti, sed ordinis tantum, & decori gratià in Ecclesiam sunt introducti.

III.

Verbo Dei præcepta non sunt, non quidem generaliter, aut prohibitive, sed in specie, sive definitive: si enim generaliter præcepta non essent, unde bona ea esse, ac in conspectu Dei placencia, constare possit? Si in specie mandata essent quomodo adiaphora dicerentur, cum in nullius arbitrio essent posita.

IV.

De his hac vice disquisitionem filium secuti concordia, instituturi, consuetudine τῆς ἑσπερίας, statu nimirum questionis, thesi, & antithesi rem omnem perlustrabimus.

CAPUT I.

Status controversiæ.

I.

Infelix ille liber Interimisticus, tanquam ied & quoddam porcum in Ecclesia proscenium immisissus, uti quam plurimas alias, ita de adiaphoris quoque & ritibus Ecclesiasticis controversiam inter Augustanæ confessioni addictos excitavit.



II.

Cum enim in libro isto postularent, magnoq; conatu eò laborarent pontificij, ut suas ceremonias, fumigationes, ridiculas gesticulationes, idq; genus ineptias alias, quam plurimas Augustanae confessionis Ecclesiae denuò reciperent, quidam Theologi metu periculi animis deiecti, concedi id posse, contendebant, quidam his contradixerunt.

II F.

Non verò questum fuit, liceatne quid adversarijs inadiaphoris salvâ conscientia largiri, si illi, quò ad religionem, & fidei articulos cedere voluerint.

IV.

Sed hunc verum ponit, & genuinum controversiae statum concordiam, numné salvâ conscientia tempore persecutionis, & in casu confessionis, quamvis adversarij in religione consentire nolint, in adversariorum gratiam jam abrogatas ceremonias Ecclesiasticas in usum revocare liceat? & an hoc modo cum pontificijs in eiusmodi ceremonijs rectè conformari queamus?

CAPUT II.

Thesis, sive Affirmativa.

I.

Et primùm quidem quo ad affirmativam, ad solidiorem controversiae dijudicationem, notari vult Concordia, in Ecclesia adiaphora cultus rationem habere, nec posse, nec debere, aut illis cultum ullū affingendum esse.

II.

Cujus rei caussa se offerunt maximè notabiles: 1. Quia omnis hac ratione adiaphori natura penitus sustolleretur, utpote, cum adiaphori natura in eo consistat, ut salvâ conscientia vel omittere illud, vel servare, prorsus sit liberum, cultus simul esse non potest: siquidem cultus non indifferens quid est, sed summè necessarium. 2. Sequeretur, humani cordis, & ingenij fragmenta (cuiusmodi sunt adiaphora, tanquam à Deo explicitè nusquam praecepta) cultus rationem habere posse, id, quod disertè negat concordia.

Nec.

III.

Nec absq^{ue} ratione : Dominus siquidem Deus noster humani cerebri commentis frustra se coli, disertè asseuerat, tum Esa. 29. tum verò & Matth. 15. cultores tales non corde, (qualis cultus solus certè verus est cultus, qualemq^{ue} solum requirit Deus Deu. 6. v. 5. Matth. 21. v. 28. & seqq. Marc. 12. v. 30. Deu. 10. v. 13.) sed linguâ duntaxat sibi appropinquare, corde interim longè à se recedere, attestans.

IV.

Vbi verò non amplius pro eiusmodi indifferentibus ritibus, quos & abrogare, & constituere in Ecclesiâ arbitrio sit positum, sed pro necessariis haberi incipiunt, nec adiaphora dicenda sunt, nec in Ecclesiâ arbitrio posita, sed iussu, & mandato Dei ex eiusdem gremio, & prosenio extirpanda, & eradicanda.

V.

Talis ergò cum sit adiaphorum natura, licitum est Ecclesiâ atq^{ue} concessum, pro re nata ceremonias tales mutare, ita nimirum, vt ea solum, quæ non edificent, non decent, non ad εὐχρημοσύνην conferunt, quæq^{ue} scandalo sunt infirmis, tollantur; quæ verò εὐταξίαν in Ecclesiâ seruant, piè, & utiliter in eandem sunt introducta, nec citra infirmorum offensionem abrogari, neq^{ue} bonâ scientiâ ex Ecclesiâ eliminari possunt, ea tolerantur, & seruentur.

VI.

Porro, vt iniquè facit Ecclesiâ, quæ adiaphora piè constituta abrogat, sic non minus, sed longè grauius peccat, quæ adiaphora piè, cum consilio, & quidem publicè, ac sapius damnata in solam gratiam aduersariorum pertinacium recipit, usdemq^{ue} in ceremoniis, persecutionis tempore, & quidem, cum edenda est confessio, loco cedit.

VII.

Hinc ergò concordia, credimus (inquit) docemus, & confitemur, quòd temporibus persecutionum, quando perspicua & constans confessio à nobis exigitur, hostibus Euangelii in rebus adiaphoris non sit cedendum. Cuius sententiæ veritas eò patebit luculentius, postquam & cum scripturâ, & cum fidei analogiâ eam consentire, demonstratum fuerit.

VIII.

Certè, si Ecclesia Orthodoxa à pontificijs obtrusa adiaphora recipiat, in fide quiddam est largita, adiaphora siquidem ista in res veritas degenerant, & adiaphora esse desinunt, utpote nec rerum mediarum causam habentia efficientem nec formalem, nec finalem.

IX.

Causam efficientem quod attinet, duplex ea est: remota alia, generaliter solum adiaphorum usum definiens, generale scilicet Dei mandatum, quo omnia ἐὺκρίτως, & εὐτάκτως fieri in Ecclesiâ precipit. Propinqua altera, pia nimirum, & libera Ecclesiæ voluntas, quæ generale Dei præceptum ad specialiora reducens, pro suo beneplacito, & pro re nata adiaphora disponit, & ordinat.

X.

Generale Dei mandatum de ceremoniis quatuor præcipuè in se complectitur. Primum est, ut per ea ordo seruetur in Ecclesiâ. Quomodo verò ordinem serualet, eiusmodi ceremoniarum mutatio? siquidem, cum in politiis pacatis etiam, omnis ferè mutatio turbas dare soleat, quid fore existimabimus, si adedò turbulento, & quidem persecutionis tempore ceremoniarum quadam variatio in Ecclesiâ (quæ insensum adedò, & nunquam non quiduis contra eam molientem aduersarium habet Sathanam) susciperetur?

XI.

Quin & summa hæc est confusio, cum adiaphora, quæ dudum sunt rejecta, in usum reuocantur, jam antè recepta, & diu usurpata denuò rejiciuntur: vnde vix constare cuiquam potest, quosnam ritus, ut pios, & omninò tales, qui Ecclesiæ cum fructu inseruire possint, quos contrà iudicet.

XII.

Sed & ipsi Pontificij ritus usq; adedò ordini non seruiunt, ut summam potius confusionem plenè velis in Ecclesiam importent, quod in ipso papatu plus satis elucet, ubi cultus cum adiaphoris, res mediæ & indifferentes cum necessariis, quin & ipsa adiaphora inuicem commixta fuerint, atq; confusa.

XIII.

Secundò, generale Dei mandatum requirit, ut decorum in Ecclesiâ

clesiã seruetur. Quis autem ignorat, eiusmodi esse Romanae Ecclesie ceremonias, vt & ipsa mysteria religionis Christianae publicè prophanent, & sacrificulos pontificios ridendos populo exhibeant, sicq; aded ipsius quoq; religionis pontificiae ineptiam, ac vanitatem egregiè prodant, quod, an sit seruare decorum, iudicet, cui quicquam iudicij est reliquum: Vnde colligere promptum, quodnam sanorum de religione nostrà futurum esset iudicium, si huius dementiae se quoq; participes facerent Ecclesiae reformatae.

XIV.

Tertiò vt adiaphora non destruant, sed ædificent. In quo requisito denuò & mutatio ceremoniarum & ipsa quoq; ceremonia mirificè delinquant. De mutatione non est, vt laboremus multum, omnis siquidem mutatio periculosa ab omnibus censetur. Ipsas verò quod attinet ceremonias, notum est, cantilenas, quae multum in Ecclesiã, apud rudiores plebem fructum faciunt, dum sermone vulgari decantantur, mutari in latinas, quas non edificare planum est vel inde, quod illae sermone peraguntur ignoro, qui nihil edificat. 1. Cor. 14. v. 3. & 11.

XV.

Dum sic sermone ignoto cantiones decantantur in Ecclesiã, non tantùm cantilena vtilis interea temporis cū insigni Ecclesiae detrimento omittuntur, verùm etiam, cū non à populo intelligantur, supersticiosam, non piã deuotionem (rem abominabilem) in animis deuotae plebeculae excitant: vel animi hominum interim ociosi omnis generis vanis, inutilibus, ac perniciosis cogitationibus obruantur.

XVI.

Præter ingens hoc damnum & pontificiae ceremoniae, & earum in veram Ecclesiam introductio magnopere Ecclesiam destruant. Tanta namq; ceremoniarum multitudo vitam Christianam euertit. Quis enim homo Christianus tot oneratus ceremonijs ad has simul omnes attentus esse posset, cū nullis voluminibus ab ipsis pontificijs comprehendi possint? Quò ergò plura sunt facienda, eò segnius singula fiunt, & pluribus intentus minor est ad singula sensus.

XVII.

Quid? quòd si Christi Ecclesia ab Antichristo leges sibi ferri pateretur, nonne iste vel millies damnatus papae super Ecclesiam dominatus ipso quoq;

quoq₃ facto comprobaretur? nonne potestas pontificiis super reformatas Ecclesias concederetur, quod esset lupo agnum concedere.

XVIII.

Destruit tandem, non adificat eiusmodi ceremoniarum immutatio in eo quoq₃, quod non tantum purioris religionis quam plurimos mire offendit, dum manifestorum veritatis hostium ritus, ac ceremonias recipi vident, haud obscure, vti nec incommodè protestantium cum pontificiis collusionem hinc deprehendentes, sed & in impietate sua plurimos papisticae religioni addictos egregiè confirmant, animaduertentes, Lutheranos in aliquibus qua illis necessaria censentur, cedere, (suaq₃ in ijs religioni palmam tribuere).

XIX.

Ex quibus omnibus clarè perspicitur, papistica adiaphora, ceremonias, ac ritus in generali Dei de illis mandato non comprehendendi, sed potius ei è diametro opponi, vt verè cum sanae religionis detrimento sit coniunctum, adeoq₃ nobis religio esse meritò debeat. pseudadiaphora ista in vsum reuocare.

XX.

Iam, quò ad causam efficientem proximam, pariter in illà quoq₃ adiaphorica mutatio cum ipsis quoq₃ adiaphoris à pontificiis obtrusis deficit. Cum enim causa efficiens esse debeat pia, liberaq₃ Ecclesiae voluntas, qui adiaphora vera esse possent cum non ab Ecclesia, sed ab eius iuratis hostibus, non à pià Ecclesiae voluntate, hoc est, tali qua ad honorem, gloriamq₃ Dei, & Ecclesiae adificationem ceremonias constituat; non verò, (qualis est luporum pontificiorum) qua per adiaphora Ecclesiam euersam cupiat: nec à voluntate liberà (cum per vim, per fas, nefasq₃ protestantibus obtrudantur) sed coactè proueniant. Vnde cognoscitur, pseudoadiaphora, de quibus nobis jam est sermo, nullo modo verorum adiaphorum causam efficientem obtinere.

XXI.

Hec de efficiente. Quò ad formalem, consistit ea in libertate potissimum, qua cuius Ecclesiae liberum est, ea recipere, immutare, deponere: qua adiaphorà sublatà, adiaphoron ipsum actu est sublatum. Dum enim necessariò, & coactè ea suscipit Ecclesia, non in propria sua voluntate, ac beneplacito sunt posita, adeoq₃ non quidem ratione Ecclesiae obtrudentis, verum istius, qua vi coacta illa recipit, adiaphora esse desinunt.

XXII. Fi-

XXII.

Finis ceremoniarum, omniumq; rituum in Ecclesia Dei gloria, ac Ecclesie edificatio esse debet. De quo sine multa jam antè sunt dicta, ex quibus constare satis potest, horum rituum pontificiorum finem esse, gloriam, non Christi, sed Antichristi, adificationem Ecclesie non veræ, catholicæ, & christiænæ sed feræ, cacolicæ, & Antichristiænæ, hoc est, omninò talem, qui vero fini contrarius est, & è diametro oppositus.

XXIII.

Sed, quid multù opus? Praxis Ecclesie primitivæ Apostolicæ quæ norma nostræ esse debet, luculenter, & apertè nobis adstipulatur. In Novo Testamento circumcisio res erat adiaphorica; hanc Paulus (cùm falsi fratres in Galaticas Ecclesias irrepissent, conversisq; gentibus per vim obtrudere eam conarentur) tanquam rem impiam reijcit, vsus evidenti, ac nostro instituto accommodatissimo argumento, eoq; tali ijs, qui libertatem christianam explorare veniunt, eoq; solùm laborant, ut iugo servitutis implicentur christiani, ne ad horam, nec in rebus licitis cedere salvâ conscientia, salvâ religione christiana, salva item libertate christiana possimus. Gal. 2. v. 4. & 5.

XXIV.

Sub hac majore, sicut Paulus de Pseudo Apostolis, & circumcisione expellendâ, sic nos de pontificijs, eorumq; pseudoadiaphoris subsumere possumus, imò & debemus: pontificij libertatem nostram tentare, nobisq; eripere, veniunt, eoq; laborant toti, ut libertate Evangelica nobis erepta iugo ipsorum denud implicemur. Unde efficitur, non posse illa à nobis acceptari, ne libertatem christianam (in qua tamen firmi stare iubemur. (Gal. 5. v. 1.) prodere, ac vtrò rejicere, nî etiam cum infidelibus jugum ducere (contra Pauli adhortationem 2. Cor. 6. v. 14.) placuerit.

XXV.

Hic verò, ne fortè obijci posset, fuisse in Novo Testamento circumcisionem rem illicitam, adeoq; factum istud Pauli huc non quadrare, probè hac quoq; in parte nobis prospexit Apostolus, dum & Act. 16. v. 3. Timotheum propter infirmos in fide iudeos circumcidit, & præcipuè, dum egregiè de circumcisione 1. Cor. 7. v. 18. & 19. disputans, rem mediam, & indifferentem eam esse, sole clarius demonstrat.

A S

Qua

XXVI.

Quae praxis Apostolica strictè in Ecclesià primitivà, & Apostolicà fuit servata, adeò, ut Paulus Apostolo Petro aliquantò plus in adiaphoris adversariis largienti, utpote non rectè in doctrina Evangelij ambulanti in faciem se Antiochia restitisse scribat Gal. 2. v. 11.

XXVII.

Sic quoq; Paulus ne in cibo quidem aut potu à quoquam Colossenses suos atq; sic omnes Christianos vult iudicari Coloss. 2. v. 16. Nihilominus tamen omnem carnis esum, si eodem fratrem scandalizaret, omisurum se profitetur 1. Cor. 8. v. 12. Vnde nos à minori ad maius sic argumentari possumus: Si in iis, quae ad religionem, & cultum nihil pertinent, nec facile (quantumquidem ad aeternam salutem) quenquam scandalizare possunt, nihil in gratiam adversariorum faciendum, nihil propter infirmos omittendum, quantò magis in eo, quod ad cultum, ac religionem, libertatemq; Christianam maximè pertinet, quodq; à verà fide abducere potest infirmos, nihil est adversariis concedendum, nihil propter infirmos non faciendum.

XXVIII.

Hinc ergò, cum in firmos huiusmodi mutationes offendere, antea sit ostensum, & vicissim multum, atq; plus, quam decet, aut etiam licet, adversariis largiantur, omni conatu eis resistendum, & tanquam verae pietati adversum, fugiendum esse, ac damnum, cuius colligere promptum est.

XXIX.

Et quorsum tandem omnis cultus divinus? certè, si Papa servire volumus, (vera namq; haec esset servitus) Deo, & Christo nunquam servire poterimus. Quando quidem enim nemo duobus dominis servire potest. sed alterum diligit, oportet, alterum verò odio prosequatur: sanè, si Deum diligere volumus, commenta pontificia omittamus, sin applaudere Romanensibus, ac pontificem colere lubuerit, Deum diligere, venerari, & colere desinamus.

XXX.

Quorsum profectò inclinant & ipsa religio, & ceremonia pontificiae. Nil enim sibi vult aliud Sacramentorum multiplex illa, ac plusquam Diabolica prophanatio. Abominationes quidem pontificiae circa caenam Dominicam superioribus disputationibus satis fuere ostensa. Sed & baptismi insignis sub Papatu

patu & abominanda profanatio, (qua campanas impiè & contra ipsam institutio-
tionem & contra finem instituti baptismi baptizare non sunt veriti) nihil a-
liud, quàm Epicureismum, divinatorum mandatorum, ac Sacramentorum con-
temptum introducit.

XXXI.

Ex quibus ita explicatis, tanquam consecrarium infert Concordia, non
debere unam Ecclesiam ob diversitatem ceremoniarum (utpote à Deo non
mandatarum, sed cuiusvis Ecclesie libertati relictarum) alteram damnare,
cum propterea non religio, nec quicquam, quod tanquam necessarium Ecclesie
incumbat, tollatur, eò quòd dissonantia jejuniij non tollat consonantiam
fidei.

CAPUT III.

Negativa.

I.

Quibus ita positis, & confirmatis, tanquam erronea, & ὑγιαινοντων λό-
γων ἄποτυπώσεις adversantia dogmata rejicimus: Primò. Quando affir-
matur, quòd humane traditiones in rebus Ecclesiasticis per se pro cultu, aut eius
parte sint habende.

II.

Deinde, cum ceremonie Ecclesie obtruduntur, vi, coactè, & sub opi-
nionem necessitatis: siquidem id cum libertate Christiana diametraliter pu-
gnat.

III.

Rejicimus tertio eam quoque sententiam, qua Adiphorista contem-
derunt, quòd persecutionis tempore, cum clara requiritur confessio, in rebus me-
diis, seu adiphoris hostibus Evangelij gratificari, & cum illis consentire, ac
pacisci liceat. Quam sententiam, uti manifestè falsam, cum veritatis detri-
mento coniunctam esse habemus persuasissimum.

Sed

IV.

Sed nec eorum ferenda est opinio, qui externos ejus modi ritus necessariò Ecclesiam vel ponere, vel abrogare contendunt, neque liberum eidem esse, autumant, pro renata, proq̄, Ecclesie conditione ad iaphora nova, veteribus abrogatis, substituere.

V.


Ad extremum, damnandi sunt quoque Calviniani, Lutheranas Ecclesias ob ad iaphora quadam, ac ceremonias impiè, ac præter meritam damnantes.

Πόρισμα

An Exorcismus, qualis quidem in Lutheranorum Ecclesijs vsurpatur, in gratiam Sacramentariorum abrogari possit, ac debeat. Neg.

SOLI DEO GLORIA.







Cont
 De
PRO
CHR
 als
 s
 Rev
 Dn. LE
 TERI, S.
 & Professori
 bergensi
 Theo
 NICOLA
 Ad dier
 VViteb. Ex



17

